

SS. MARCUS ET MARCELLIANUS.

Vd.: *Festum* (separ.)

In ecclesia s. Mariae in Porticu, ubi asservatur brachium s. Marcelliani tantum (occurr. 18. Jun.), faciendum est off. etiam de s. Marco sub ritu dupl. minori de comm. pl. mm. S. R. C. Aug. 1717 *in una Urbis*.

S. MARGARITA DE CORTONA.

Pius PP. VI.

Ad eximia pietatis in Deum aliaque multiplicia regiarum virtutum dona, cum singulari in Nos et apostolicam hanc sanctam Sedem fide et devotione conjuncta, quibus carissimam in Christo filiam Nostram Mariam Annam Victoriam Portugalliae et Algabiorum reginam fidelissimam ab omnium honorum largitore Deo cumulate condecoratam esse gaudemus, paternae dirigentes considerationis intuitum merito adducimur ad concedenda ea, quae ad augendam in terris sanctarum in coelis cum Christo regnantium venerationem admodum conferunt, quaeque tam suae quam aliorum spirituali consolationi animarumque saluti speramus in Domino profutura. Itaque piis et enixis ejusdem Mariae Annae Victoriae reginae supplicationibus Nobis per dictum dilectum filium vicecomitem Franciscum de Almada et Mendoca super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, ut a clero tam saeculari quam regulari in iisdem regnis et dominiis ditioni carrissimi in Christo filii nostri Josephi Portugalliae et Algabiorum regis fidelissimi subjectis degentibus officium cum missa in memoriam sanctae Margaritae de Cortona cum lectionibus secundi nocturni et antiphonis ad Benedictus et ad Magnificat ac oratione propriis, jam pro universo ordine sancti

Francisci approbatis atque a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum sub die V. Maji 1736 ad clerum saecularem et regularem totius Italiae extensum, in festo ejusdem sanctae sub ritu duplici minori recitari ac respective celebrari possint et valeant apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae die 28. Martii 1775.

(Bull. r. Continuatio t. V. p. 25. Ed. Rom. 1842.)

S. MARGARITA SCOTOR. REG.

Ad dubium Benedictinor. Einsidl.: an in festo s. Margar. Scotor. Reginae 10. Junii expungi debeant ultima verba lectionis: „Cujus festum ab eodem Pontifice concessum, Innocentius XI. ad octavam Idus Julii transferri jussit?“ S. C. resp.: Affirmative. n. 4044 ad titul. XXV. dub. 8 die 5. Maji 1736.

S. MARGARITA V. M.

Vd.: *Translatio* (festi perpetuo translati; decr. de die 12. Sept. 1840.)

S. MARIA B. V.

Vd.: *Officium, Festum, Lytaniae B. V. M.; Titularis Eccles. B. V. M.*

(Inclinatio capitis ad Nom. Mariae.)

Vd.: *Inclinatio capitis*.

Diaconus (cantans Evangel.) cum profert nomen *Jesu* vel *Mariae* inclinat se et profundius cum dicit: *Jesus*; quod et omnes faciunt. Caer. Ep. I. II. c. VIII. n. 46.

S. MARIA MAGD.

Vd.: *S. Bonaventura*.

Ad dubium: Quaeritur: quae sint Lectiones II. et III. Noct. in die octava S. Mariae Magd. in iis locis, ubi eadem Sancta veneratur ut Patrona vel Titularis?

Et S. eadem C. . . respondendum censuit:

„Lectiones in casu sumantur ex Octavario Rom. in Festo hujus Sanctae.“

Atque ita rescripsit propositaque Dubia rata est declarare. n. 5146 ad 1. Die 7. Sept. 1850.

S. MARIA MAGDAL. DE PAZZIS.

1) Lectiones.

Vd.: *Lectiones de Sanctis* (decr. n. 4044.)

Ad dubium Benedictinor. Einsidl.: Cum plerumque Officium monasticum careat in 1. n. lectionibus s. scripturae, quaeritur: an in festo s. Mar. Magdal. de Pazz. legendae sint lectiones de comm. vel de canticis, ut in festo s. Mar. Magd. poenitentis? S. C. resp.: Dicantur omnino lectiones de communi. n. 4044 (2do) ad 20 die 23. Julii 1736.

2) Ritus.

Off. s. Mar. Magd. de Pazz. alias sub ritu semid. pro eccles. universali die 25. Maji recitari concessum, in posterum ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus in tota Italia et Insulis adjacentibus, qui ad horas canon. tenentur, sub ritu dupl. recitari posse et debere concessit Bened. XIII. S. R. C. 28. Jan. 1728.

De ejus Canonis. a Clem. IX. facta, vd.: Bullam Clem. X. die 11. Maji 1670 (Bull. r. t. XI. p. 6.)

3) Translatio.

Ad dubium: Cum festum s. Gregorii VII. ex mandato Bened. PP. XIII. sit celebrandum 25. Maji, quo die antea celebrabatur festum sem. s. Mariae Magd. de Pazz.; quaeritur: an hoc festum habeat fixum diem an vero sit transferendum in primam diem non impeditam? S. C. resp.: Esse assignandam primam diem non impeditam. n. 4049 ad 4 die 23. Junii 1736. n. 4056 ad 4 die 16. Febr. 1737.

S. MARTINA.

Vd.: *Hymnus proprius* (decr. n. 4669.)

MARTYR.

1) Antiphona.

Cf.: Vesp. (regul.); *Concurrentia festor.*

Si uno die occurrant plures martyres, Officium unum semid. et aliud simpl., utrum in vesp. pro commemoratione simpl. dicenda antiphona: *Gaudent in etc.* de 2. vesp., ut exemplum est 16. Sept. Utrum detur ibi regula vel exceptio regulae rubric. de commemoratione. n. 8? S. C. resp.: Servandam esse rubricam 9. de commemor. n. 16, nisi aliter assignetur in propriis locis, ut ibi docet eadem rubrica. n. 3301 ad 4 die 10. Jan. 1693.

2) Missa.

Ad dubium: an si transferantur ad tempus paschale festa ss. mm., in quorum missa Introitus sit: „*Gaudeamus omnes etc.*“, debeat idem Introitus dici tempore quoque pasch. vel potius alter ejusdem temporis: *Protestisti?* S. C. resp.: Si Officium missae ss. mm. ultra Introitum: *Gaudeamus etc.* habet etiam proprium vel Evang. vel Epistolam, tunc debeat recitari idem

Introitus; secus si nihil aliud proprii haberet. n. 4080 ad 1 die 29. Novb. 1738.

Ad dubium: An si festum alicuj. s. mart. habens in missa proprium Evang., transfertur ad tempus pasch., dici debeat idem proprium Evang. vel potius unum ex assignatis pro tempore pasch.? S. C. resp.: affirmative quoad primam partem, negative ad secundam. n. 4080 ad 2 die 29. Novb. 1738.

Vd.: *Missa* (tempore Pasch.)

3) Officium.

Ad dubium: Si festum s. Martyris habens missam de comm. pasch. transferri contingat extra tempus pasch., quaenam regula servanda est pro determinatione missae et Evangelii et Lectionum? S. C. resp.: Officium sumatur de communi mm. extra temp. pasch., retentis lectionibus, oratione et si quid aliud habet in propriis, et regula sumenda est ex ipso Evangelio vel oratione, si sit de communi, quae indicat, utrum sumpta sint ex I. aut II. loco. Die 11. Sept. 1841.

Ad dubium: An in festis scilicet s. Canuti, s. Hermenegildi et s. Wenceslai dicenda sit homilia s. Hieronymi super Evang.: *Nolite arbitrari*, ut paucis abhinc annis notat. in Brev. rom. Martriti typis dato? Et quatenus negative: an saltem dicenda sit in festo un. m. non p., in quo dicitur missa: *In virtute tua*, et qui in nullo Brev. habet homiliam, sicut 40 abhinc annis indicatur in Hispaniae Breviario, vel potius: an dicenda sit homilia s. Hilarii ep., quam in casu praecipit Octavarium rom.? S. C. resp.: In casibus propositis et similibus servandam esse regulam a Gavanto traditam, nempe homiliam esse sumendam ex proprio SS., si habeatur respondens Evangelio, quod legitur in missa, vel ex octavario

romano. Quod si in illo non reperiatur, istud vero desit, legendam in Off. homiliam Evangelii, quae habetur in communi; in missa vero idem Evangel., cujus homilia recitata est in officio. Die 2. Mai 1801.

Vd.: *Lectiones de Sanctis* (decr. de die 16. Junii 1677)

4) Reliquia.

De celebrando festo alicujus m., cujus adest reliquia insignis, vd.: Reliquia insignis.

5) Responsorium.

Responsorium: *Domine praeveniisti etc.* dicendum esse in quocunque Officio Martyrum, qui perierunt, non effuso sanguine. n. 3301 ad 5 die 10. Jan. 1693.

MARTYRES PUERI.

Utrum pueri ante usum rationis in odium Christi occisi sunt canonizandi eisque cultus sit publicus praestandus? Vd.: Constit. Bened. XIV. de die 22. Febr. 1755. (Bull. r. t. XIX. p. 120.)

MARTYRES QUADRAG.

Ab eo tempore, quo Innocentius X. ad dupl. ritum erexit Off. s. Franciscæ Rom. dubitari coepit, an festo quadrag. martyrum sit assignanda dies fixa, nempe dies 10. Mart. an vero idem festum tamquam translatum prima die non impedita sit celebrandum. S. R. C. resp.: Assignari debere certam sedem Officio 40 mart., diem scilicet 10. Mart. idemque in novis Martyrologiis servari mandavit die 29. Nov. 1659. Cf.: *Dies fixus.*

MARTYROLOGIUM.

1) Annuntiatio festorum.

Annuncianda sunt festa iisdem die-

bus et verbis in Martyrol. romano descriptis. Quodsi eorum transferantur Officia, pridie, quam celebrentur, potest nuntiari festum illius Sancti, de quo sequenti die agetur sol. memoria. n. 4044 (*alia dubia*) dub. 14 die 5. Maji 1736.

Festa perpetuo in aliam diem translata sunt praenuncianda in martyrologio eo ipso die, quo celebrantur, non eo die, quo notantur. n. 4119 ad 9 die 2. Sept. 1741.

Datur Decretum S. R. C. in Einsidensi diei 5. Maji 1736, juxta quod Festa a die obitus translata, quae sortita sunt aliam diem fixam, annuncianda sint in iisdem diebus et verbis in Martyrol. Rom. descriptis. Quod si eorum transferantur Officia, pridie quam celebrentur, potest nuntiari Festum illius Sancti, de quo solemniter memoria agitur sequenti die. Quaeritur 1: quomodo legi possit Martyrologium, si hujusmodi Festa translata a die obitus celebranda sint perpetuo in aliqua Dioec. vel Eccl. non illa die, qua celebrantur in Eccl. universali et annuntiantur in Martyrol., sed alia die? Hoc locum habet v. g. in Festo S. Thomae a Villanova, cujus Elogium occurrit in Martyrol. VI. Id. Sept., additis his verbis: — cujus Festum X. Kal. Oct. celebratur; — dein X. Kal. Oct. rursum fit mentio ejusdem Festi, tamquam a die natali translata. Porro in Dioec. Mechlinien. Festum S. Thomae a Villanova perpetuo est translatum ad diem 25. Sept., quae est prima dies non impedita: an jam illud Festum annunciarum debeat X. Kal. Oct., ut in Martyrol., vel an ommissa ejus mentione illa die, annuntiari debeat VII. Kal. Oct., quae est dies fixa pro ejus celebratione?

2: S. Petrus Damianus migravit ad Christum VIII. Kal. Mart., ut legitur in ejus Officio Lect. VI.; quum autem

ea die fiat Officium de Cathedra S. Petri Antiochiae, Festum S. Petri Damiani celebratur die sequenti, sive VII. Kal. Mart. ex Decreto Urbis et Orbis diei 1. Oct. 1828. Quaeritur igitur: qua die ejus Elogium inseri debeat Martyrologio an 22. vel 23. Febr. vel an bis de S. Petro Damiani faciendae sit mentio?

Et S. eadem C. . . respondendum censuit ad quaest. 1: Martyrolog. legendum esse, ut jacet; pridie autem uti ex consuetudine aliarum Ecclesiarum, annuntiari potest *Festum s. Thomae etc. de quo agitur*; ad quaest. 2: „Quum primo inserendum sit hoc Elogium ponendum esse die 23. Febr.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4985 ad X. die 7. Dec. 1844.

Ad dubium: 1. An in Lectione Martyrologii annuncianda sint Officia votiva persolvenda insequentibus diebus?

2. An item annuncianda sint Officia per accidens translata?

Emi. itaque ac Rmi. P. . . rescribendum censuerunt:

Ad 1: „Affirmative juxta Rubricas et alias decreta.“

Ad 2: „Ut ad proximum.“

Atque ita rescripserunt ac servandum mandarunt, die 8. Aug. 1835. n. 4767 ad 4 et 5.

Ad dubium: Utrum in pronuntiatione lectionis Martyrologii rom. elogium s. Cypriani oppidi Fontis Tiberii patroni princ. sit separandum ab elogio s. Cornelii, ex eo, quod Officium unius separatur ab alio? An S. Cyprianus nominandus sit in primo loco? S. C. resp.: Affirm. ad primam et secundam partem. Die 16. Febr. 1781 in *una Ord. Carm. Excalc.* ad 24 et 25.

2) Cantatio.

Ad dubium: an Parocho terrae s.

Joannis in Flore Cansentinae Dioecesis. et suo Clero liceat in die Nativ. Dom. ob Officium divinum, quod cantari solet in choro in praedicta die et aliis festis D. N. J. Chr., ad Primam solemniter cantare Martyrologium ordinatum cantari in vigilia mutato colore et hoc ob majorem solemnitatem ipsius et sui Cleri? S. C. resp.: Non licere et serventur rubricae. n. 3759 die 22. Jan. 1707.

Sacerdos cantaturus Martyrologium in vigilia Nativ. Dom. indutus Stola et Pluviali accedere non debet ad Superiorem gestantem habitum quotidianum et naviculam ministrare et genuflexus ab eo benedictionem petere, sed ipse imponere debet incensum et annuntiare Nativitatem D. N. absque ulla petitione benedictionis. n. 4393 ad 11 die 27. Mart. 1779.

Ad dubium: In Vigilia Nativitatis Domini Martyrologium cantatur in Metrop. Pisana a Capellano in habitu choralis tantum sine luminaribus et incenso. Haec consuetudo omnino est contraria usui communi aliarum Ecclesiarum, ubi Martyrologium hoc cantari solet ab Hebdomadario cum Stola et Pluviali, thure et luminaribus, ideoque non est laude digna.

S. C. resp.: „Servari posse solitum, adamussum tamen servatis Rubricis novissimae Martyrologii editioni adjectis; dummodo Archiepiscopus noluerit solemniorum alium inducere ritum.“ n. 4672 ad 21 die 12. Nov. 1831.

Ad dubium: Utrum Pluviale pro candelando Martyrologio in Vigil. Nativ. D. debeat esse coloris albi vel potius violacei? S. C. resp.: Coloris violacei. Die 22. Mart. 1817.

3) Editio.

De nova Editione Martyr., vd.: Constitul. Bened. XIV. die 1. Jul. 1748 (Bull. r. t. XVII. p. 240.)

4) Sancti.

Vd.: *Calendar. rom.; Sancti; Beati; Prima; Pluviale ad Martyrol.*

In Martyrologio non esse inserendos, qui non sint vere canonizati; nec sufficere, quod declarati fuerint *Beati*. n. 738 die 27. Mart. 1628.

In Martyrologio rom. de novo imprimendo addendos esse illos Sanctos tantum, qui fuerunt canonizati, non autem, qui declarati fuerint *Beati* Martyrologii. n. 2927 die 31. Aug. 1680.

MATERIA.

1) Calicis.

Vd.: *Missae* (In altari etc. *Decr. Bened. XIV. die 29. Mart. 1751. §. 3, et de die 29. Mart. 1751.*)

2) Campanarum.

Limburgen.

Ab expositis huic S. Sedi ap. a Rdm. D. Episcopo Limburg. apparet in illa etiam Dioecesi ad usum Ecclesiarum passim comparari campanas fusas ex chalybe, nimirum ex *puro ferro*, quod per fusionem et alias machinationes majorem duritiem et rigiditatem accipit. Quum autem Episcopus Orator haud certe sciat, num chalybs istiusmodi sit materia satis apta benedictioni, seu an aliquid obstat, quominus campanae ex chalybe fusae benedici possint juxta ritum in Pontif. rom. praescriptum, ab eadem S. Sede opportunam declarationem supplicibus votis imploravit. S. vero R. C. resp.: Nihil ostare. Die 16. Febr. 1858.

3) Paramentorum.

Vd.: *Paramenta.*

MATERNITAS B. V. M.

1) Officium.

Ne interpolatio Scripturae habeatur, quaeritur: an in Festo Maternitatis B. M. V. in Capitulo ad Vesperas et Laudes apponi possint in hac nova Breviarii Editione deficiente verba: *et in Israël haereditare?*

S. ipsa C... respondendum censuit: „Nihil addendum, sed legendum ut jacet.“

Atque ita rescripsit, declaravit servarique mandavit die 29. Mart. 1851. n. 5157 ad 6.

2) Translatio.

Vd.: *Festum B. V. M.; Officium B. V. M.; Rosarium* (transl. festi. decr. n. 5213); *Officium* (Dominicae assignat.)

In decreto Concessionis Officiorum SS. Redemptoris recitand. Dominica 3. Julii Maternitatis ac Puritatis B. V. M. pro Dominicis 2. et 3. Octobr. legitur: Quoties aliqua ex supracitatis Dominicis fuerit impedita Officio potioris juris et aequalis ritus, Officium eidem affixum transferri licite valeat in proximiorum diem non impeditam, servata rubricarum dispositione de transl. fest. Ideo: Si aliqua ex enunciatis dominicis fuerit impedita Officio aequalis ritus sed inferioris dignitatis, an transferendum vel faciendum sit Officium supraenunciatum concessionis? S. C. resp.: Attenta conditione apposita in concessione transferenda esse praefata Officia, quatenus in assignatis dominicis occurrant alia potioris juris vel aequalis ritus, servata dispositione rubr. in transl. n. 4594 ad XII. die 12. Apr. 1823.

Ad dubium: An Officia Maternitatis et Puritatis B. M. V. assignata ut plurimum Dominicis II. et III. Oct., occur. alio Officio potioris ritus vel majoris

dignitatis, transferri possint ad primas insequentibus dies liberis, quamvis haec facultas non appareat in concessionis Decreto hac tantum de causa, quia ampliationem cultus important Bmae. V.?

Et S. eadem C... rescribere rata est: „Juxta alias decreta negative in casu.“

Atque ita rescripsit servarique ubique mandavit. n. 5114 ad 11. Die 11. Sept. 1847.

S. MATHIAS AP.

1) Transl. in anno bisext.

Cf.: *Vigil. anticip. etc. decr. sub. n. 3326*

Pro festo s. Mathiae ap. decisus fuit in anno bisext. proprius dies 25. Febr., qui alias est 24., ita quod si habeatur assignata dicta dies 25. pro aliquo Sancto minoris ritus particularis ordinis, iste sit transferendus illo anno in proximam sequentem diem non impeditum. Quaeritur: An idem intelligi debeat de aliis Sanctis seu Officiis concurrentibus in tribus sequentibus diebus Februarii, ut habent Canonici Regul. Lateran., ritu dupl. in proprio Octavario, scilicet 25. s. Felicis P., 27. s. Leandri Episc., ita quod Officium s. Felicis in anno bisext. sit proprium pro die 26. etc.? S. C. resp.: *Affirmative.* n. 2943 ad 6 die 1. Mart. 1681.

Officium particulare alicujus Dioecesis vel Religionis, quod occurrit die 25. Febr., est transferendum in anno bisext. ad primam diem non impeditam officio 9 l. (nisi esset festum Tituli seu Patroni Ecclesiae) ut fiat Officium s. Mathiae ap. S. R. C. 7. Decb. 1680 *in una Can. Regul.*

2) Vigilia.

Occurrente Vigilia s. Mathiae ap. in

fer. III. post Dom. Quinquag. observandum est jejunium, quod non potest anticipari ratione carnis privii. S. R. C. 23. Jan. 1694. *In Primin.* (Bull. r. t. VII. p. 294.)

MATRIMONIUM.

Vd.: *Nuptiae; Missa vot. pro Sponsis.*

Sponsi; De matr. presbyt. graeci, vd.: Ordinatio Graecor. (n. XXVI—XXVIII.)

De Matrimonii Ministro, vd.: Benedictio Annuli Nuptiar. secundar. (decr. n. 4780 nota.)

De Matrimoniis secundis, vd.: Ibidem.

Capellani vel Vicarii parochiae temporanei, qui commissionem gener. ad omnium Sacramentorum administrationem in parochia a paroco habent, non indigent expressa licentia ad valide assistendum matrimoniis, nisi expresse parochus contradixerit. S. C. C. 22. Julii 1581.

Pluria matrimonia in ead. missa possunt benedici. S. C. Inq. 1. Sept. 1841.

De dissolutionibus matrim., vd.: Admonitio Bened. XIV. de die 11. Apr. 1741 ad Episcopos in Poloniae Regno, ut cautiis procedent in admittendis conjugiorum dissolutionibus. (Bull. r. t. XVI. p. 26.)

De dispensandis impedim. matrimonii, vd.: Indult. (revoc. VIII.)

Causarum matrimonialium judicia coram quibus et quo ordine ac forma peragenda sint, vd.: Bullam Benedict. XIV. die 3. Nov. 1741 (Bull. r. t. XVI. p. 48.)

De matrimoniis in Hollandia et Belgia contrahendis et de matrimoniis occultis, vd.: Brevia Bened. XIV. de die 4. et 17. Nov. 1741 (Bull. r. t. XVI. p. 52—55.)

Dispensationem matrimon. causas veraciter exponendas et ab executoribus omnino verificandas esse sta-

stuitur in Constit. Bened. XIV. 25. Febr. 1742. (Ibid. p. 73.)

Damnantur et annullantur pacta inter Conjuges inita de non appellando a sententia lata pro matrimonii nullitate per Constit. Bened. XIV. die 18. Maji 1743. (Bull. r. t. XVI. p. 160.)

De matrimonio post adulterium factum ineundo, vd.: Bullam Bened. XIV. 5. Dec. 1744. (Bull. r. t. XVI. p. 260.)

De Matrimonio Clericor. Cophorum in Ordine Subd. et Diaconatus constitutorum, vd.: Constitut. Bened. XIV. die 4. Maji 1745. (Bull. r. t. XVI. p. 294 §. 17.)

Matrim. per professionem votorum sol. tantum dissolvi, vd.: Votum Regul. (decr. de die 25. Jan. 1861.)

De Matrimonii Validitate inter virum Judaeum et mulierem haereticam; vd.: Consit. Bened. XIV. die 9. Febr. 1749 (Bull. r. t. XVIII. p. 3.)

Benedictus PP. XIV.

(De Matrim. cor. civili Magistratu ineundis.)

Redditae sunt Nobis per Dilectum Filium eundemque primarium administrum nostrum Silvium Cardinalem Valenti vestrae litterae, quibus subortam inter vos in re gravis sane momenti controversiam exponitis eamque judicio nostro subjicitis. Non possumus equidem non magnopere commendare propositum vestrum, quo Sedem Apostolicam consulendam censuistis ejusque definitionem exposcendam, ut eam unanimi consensu amplectamini; quam si omnes, cum similes emergunt quaestiones, pari docilitate exquirerent et sequerentur, non tanta succresceret in dies inter Evangelicos Operarios opinionum varietas, nec doleremus aliquando ob eorumdem in tradenda morum doctrina diversas sententias, in partes distrahi Christianum populum eamque scindi mentium ani-

morumque discordiam, quam Christus Dominus Ecclesiae suae commendatam voluit usque adeo, ut ea praesertim, quasi tessera, discipulos suos cognoscendos praedixerit.

§. 1. Exposuistis itaque Nobis non raro istic contingere, ut Catholici Matrimonium inter se contracturi Civilem adeant Magistratum aut Haereticum Ministellum, quibus se sistere legibus Patriae coguntur et coram illis mutuum expriment in Conjugium concensum, quem tamen postea renovare coram legitimo Ministro Catholico et duobus Testibus, uti Tridentinum praecipit, aut omnino negligunt aut in longum tempus differunt; interim verò, perinde ac si legitimi Conjuges jam forent, non dubitant omnem Conjugalem consuetudinem inter se habere. Quaesivistis deinde, quid de illo consensu sentiendum sit coram Civili Magistratu aut haeretico Ministello praeslito: num scilicet satis fuerit ad perficiendum Matrimonium validum, saltem in ratione contractus, quod alter ex vobis affirmat, alter inficiatur; etsi ad Sacramenti dignitatem non assurgat, quod nemo vestrum in quaestionem adducit; si enim res ita se haberet, uti primus existimat, subsequens inter consentientes copula, etiam ante renovatum coram Parocho Catholico consensum, omni flagitio vacaret et suscepta inde proles absque ulla dubitatione esset legitima reputanda.

§. 2. Jam verò, ut postulatis vestris breviter simul et dilucidè respondeamus, unaque controversiam omnem judicio nostro praecidamus, sic habete: Ubi cumque promulgatum et receptum sit Concilii Tridentini Decretum *Cap. 1. Ses. 24. de Reformat. Matrim.*, ibi nulla prorsus atque in omni ratione irrita esse conjugia aliter quam coram alterutrius contrahentium legitimo Parocho aliove Sacerdote Parochi vices agente et duobus Testibus celebrata.

Scimus profectò esse Theologos, qui in ipso Fidelium Matrimonio Contractum a Sacramento ita dividunt, ut illum omnino perfectum quandoque consistere credant, quin ad Sacramenti excellentiam pertingat; sed quid sit de hac opinione, quam Nos quidem nunc in medio relinquimus, ea certè, quod attinet ad rem praesentem, locum nullum sibi vindicare potest apud eos, qui Tridentina lege obstringuntur: etenim qui praeter formam a se praescriptam Matrimonium contrahere attentant, eorum Tridentina Synodus non Sacramentum modo sed Contractum ipsum irritum dissertè pronunciat, atque ut ejus verbis utamur: *Eos ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit et hujusmodi contractus irritos esse decernit.* Quare, cum inter Catholicos in istis Provinciis degentes et promulgatum et receptum jam fuerit illud Tridentini Decretum, quod ambo fatemini perspicuum est, Matrimonium ab ipsis invicem initum coram Civili Magistratu aut Aatholico Ministello et non item coram proprio alterutrius contrahentium Parocho et duobus Testibus, neque in ratione Sacramentali neque in ratione Contractus sustineri aut ullo pacto validum reputari posse. Neque verò rationes, propter quas valida pronuntiavimus Matrimonia, quae aut ab haereticis inter se aut a Catholicis cum haereticis in istis foederatis Provinciis contrahuntur non servata forma Tridentini, aptari queunt Conjugiis inter se initis a Catholicis, quorum quilibet Tridentini Decreto se obstrictum agnoscit ejusque se auctoritatem sequi profitetur.

§. 3. Sciant itaque Catholici vestrae curae concrediti, cum Civili Magistratu aut haeretico Ministello Matrimonii celebrandi causa se sistunt, actum se merè civilem se exercere, quo suum erga Leges et Instituta Principum obsequium ostendunt; Caeterum tunc

quidem nullum a se contrahi Matrimonium. Sciant, nisi coram Ministro Catholico et duobus Testibus nuptias celebraverint, numquam se neque coram Deo neque coram Ecclesia veros et legitimos Conjuges fore: nec, si interim conjugalem inter se consuetudinem habuerint, eam gravi culpa caritaturam. Sciant denique, si qua ex hujusmodi conjunctione oriatur soboles, eam utpote ex non legitima uxore natam in oculis Dei fore illegitimam et nisi conjuges consensum ex Ecclesiae praescripto renovaverint, illegitimam perpetuò futuram etiam in Ecclesiae foro.

§. 4. Erit porro officii vestri, haec omnia, cum commoda se obtulerit occasio, atque ea, quam rerum circumstantiae vobis adhibendam suaserint, circumspeditione et cautela, singulis explicare prolixius simulque omnes commonere, ut siquidem Regionis consuetudini et terreni Principis sanctionibus obtemperare coguntur, faciant illi quidem, sed Religione salva, potioresque ducant sanctissimas Ecclesiae leges, quibus fidelium Matrimonia constringuntur. Illud praeterea vobis curandum est, ne, etiamsi duo Catholici civilem illam ac merè politicam coram haereticis caeremoniam peregerint, nimirum inter se familiariter agant aut sub eodem tecto in communi habitent nisi se prius veris et legitimis nuptiis ex norma Tridentini alligaverint; quamquam enim ea familiaritas esse possit sine flagitio, flagitii certè periculo et suspitione non vacat: utrumque autem probis et benè moratis Christifidelibus cavendum est. Ad ejusmodi porro evitanda pericula, cognoscimus, consultius utique fore, ut Catholici, nonnisi Matrimonio jam antea in facie Ecclesiae inter se legitime celebrato, ad illam explendam civilem Caeremoniam, saecularem Magistratum, seu Haereticum Ministellum adirent;

sed quoniam ex vestris litteris deprehendimus, id non sine periculo et perturbationibus posse adimpleri, id saltem pro viribus satagite, ut, postquam Reipublicae morem illi gesserunt, non diù differunt Ecclesiae legibus parere, et conjugale foedus juxta praescriptam a Tridentino normam ritè et sanctè inire; et si quid tum super hac re tum super aliis, quae istam Missionem respiciunt, Nobis suggerendum esse putetis, communicato inter vos consilio, operam nostram implorate, quam semper praesentem invenietis.

§. 5. Epistola haec nostra tibi, dilecte fili, Paule Simon a S. Joseph, inscripta est: eam tamen volumus a te communicari etiam dilecto filio Hadriano Augustino Won-Dueck Pastori Leidensi, cujus scriptum super ea, de qua nunc agitur, controversia, a supra dicto Cardinali de Valentibus nobis oblatum libenter perlegimus.

§. 6. Postremo vos hortamur majorem in modum, ut istum Dominici Gregis non contemnendam portionem sedulo, sicuti laudabiliter hactenus fecistis excolere, atque ad omnem pietatem informare pergatis, Vobisque interim Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die 17. Sept. 1746.

Pontificatus Nostri Anno Septimo. (Bull. r. t. XVIII. p. 313.)

MATUTINUM.

1) Celebrans absente etc. Episcopo.

Vd.: *Nativitas Dom.*; *Bened. in Mat.*; *Pluviale. Usus Pontifical.*

Absente Episcopo spectare Officium facere ad Matutinum ad Dignitatem celebrantem prout spectaret ad Episcopum, si praesens esset — non ad hebdomadarium. n. 1015 die 3. Mart. 1635.

Absente vel impedito Episcopo prima Dignitas tenetur celebrare Matutinum. n. 1044 die 21. Juni 1636.

Ad dubium: An prima Dignitas celebratura pro Episcopo absente, etiam Officium faciat ad Matutinum? S. C. resp.: spectare in hoc casu ad celebratum omne id, quod spectaret ad Episcopum, si praesens esset. n. 1015 die 3. Mart. 1635; n. 2710 die 4. Aug. 1674.

Jus dicendi orationem: *Respice quaesumus etc.* in functionibus fieri solitis in hebdom. maj. spectare absente Archiepiscopo ad primam Dignitatem, non ad Vicarium. n. 2391 die 15. Jan. 1667.

2) Matutinum et Laudes conjunct. recitantur.

Vd.: *Nativit. Dom.* (Off. temp. decr. n. 4656 nota.)

3) Tempus.

Vd.: *Nativitas D. N.* (Officium).

Abbas quidam petiit, ut propter periculum furi invasionesque male viventium etc. in Monasterium facultas Matutinum sub noctem recitandi concedatur. S. C. resp.: Extruant Oratores Sacellum privatum commodum, ubi Matut. hora consueta celebrari possit; tempus vero ad id ab Ecclesia praescriptum non alteretur. n. 55 die 20. Julii 1593.

Ubi adest *consuetudo* recitandi Matut. media nocte, a *Clero saecul.* potest dimitti et mutari ut recitetur albescente die ex justa causa. S. R. C. 21. Julii 1607.

Abbas quidam propter multas causas petiit, ut liceat Matutinum recitari *post Completorium diei praecedentis*. S. R. C. resp.: *Nihil.* n. 102 die 10. Jan. 1597.

Capitulum Mirand. iterum supplicat, impertiri licentiam recitandi Matutinum post Completorium a die prima Nov.

ad diem primam Maji, idque propter nimiam ejus loci frigora. S. R. C. resp.: *Nihil.* n. 105 et 111 die 10. Jan. 1597.

Canonici Cathedr. Nucet. consueverunt ab immemorabili tempore paulo post ortum solis recitare in choro Matutinum et successive horas Canonicas et immediate post Nonam cantare missam convent. S. C. resp.: *Servari Solutum.* n. 814 die 11. Junii 1629.

Canonici Bav., ex ritu graeco ad latinum regressi, convenienter Matutinum *mane* recitent, prout faciunt Latini et non post Vesperas juxta ritum graecum. n. 182 die 14. Decb. 1602.

Non licet Canonicis Cathedr. Pennen. in Vigiliis dierum SS. Corp. Chr., Conceptionis B. V. M., s. Rogationum, ss. Maximi et Blasii etc. anticipare horam pro recitatione Matutini de sero post vespas ac campanas ad hujusmodi effectum pulsare absque licentia Episcopi. n. 4246 ad 2 die 13. Julii 1754.

Ad dubium: an tempore Quadrag. liceat Capitulo Cathedr. Urbevetan. recitare Matutinum pro die sequenti de sero immediate post Completorium? S. C. resp.: Negative. n. 4062 ad 10 die 3. Aug. 1737.

Matut. dicend. ante celebr. missae, vd.: *Ordinatio Graecor.* (n. V.)

S. MAURUS. ABBAS.

Ad dubium Benedictinor. Einsidl.: Si ob festum ss. Nominis Jesu contingat transferri festum s. Mauri abb., quod est 2. cl., quando celebrabitur hoc festum? S. C. resp.: Officium s. Mauri abb. fiat prima die non impedita. n. 4044 (2do.) ad 16 die 23. Julii 1736.

MAZZERIUS.

Si Mazzerius non est de gremio Beneficiorum, non posse per Cano-